



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

§. 3. De Confirmatione, in qua & Confutatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

§. 3. De Confirmatione in qua & Confutatio.

Huc referuntur argumenta, quæ ad fidem faciendam pro statu quæstionis sunt excogitata. Si quæstio sit infinita, possunt poni eo ordine, quo positi sunt loci: Si sit finita, tum juxta caput 15. lib. 2. ponuntur firmissima in principio quæ excellent, in extremo loco, mediocria in medio, vitiosa nullibi. Potest etiam observari ordo temporis, ut in exornatione personæ, agi potest de rebus ante vitam, in vita, post vitam gestis, vel ordo naturæ aut dignitatis: solemus à levioribus & facilioribus ad graviora & difficiliora; à planioribus, & notis ad obscuriora, & intricata, à minoribus ad majora progredi. In refutationibus ordo plerumque servatur ab adversario constitutus. Non differt autem confutatio ab ipsa confirmatione, quippe dum aliena refellimus, nostra confirmamus, patet id in Oratione pro Murena. Confutari solent argumenta adversarii, si ostendatur repugnantia quoad tempus, aut locum, v. g. cædem factam Romæ ab eo, qui tunc Venetiis fuit, vel quo ad personæ indolem & mores, v. g. ab optimè educato, aut divite factum furtum: aut si arguatur adversarius malè intulisse: v. g. Milonem insidiatum esse Clodio, quòd publico abstinerit, cum inferri debuisset, idcirco publico absti-

abstinuisse, nè insidias struxisse videretur. Afferuntur & hi refutationis modi à Quintiliano, & Cicerone, & cùm aliqua propositionum negatur, falsitate per aliquam rationem ostensâ, ut Cicero facit in Miloniana; negant fas esse lucem intueri &c. aut cùm iis admissis, conclusio negatur: aut si contra firmam argumentationem, alia æquè firma, aut firmior opponitur; aut elevatione ridentur adversarii argumenta per ironiam, exclamationem &c. Elevantur autem argumenta, quando ostenditur quòd nimis multum probent; sicut infirmantur, quando parum probare eadem docet Orator. Quæ verò dicendo refutari non possunt, quasi fastidendo tanquam levia, & refutatione indigna calcamus, aut excusamus per imprudentiam ætatis, sexûs &c. Serviunt hæc ad ea, quæ non tantum ab adversario objecta sunt, sed etiam quæ objici possunt à populi contrario sensu.

